

GLÓRIA in excélsis Deo. Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. **ADORÁMUS TE.** Glorificámus te. **GRÁTIAS ÁGIMUS TIBI PROPTER MAGNAM GLÓRIAM TUAM.** Dómine Deus, Rex cæléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, **IESU CHRISTE.** Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, **SÚSCIPE DEPRECATIÓNEM NOSTRAM.** Qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, **IESU CHRISTE.** Cum Sancto † Spíritu in glória Dei Patris. Amen.

MUNDA cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ Prophéte cálculo mundásti igníto: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.
Iube, Dómine, benedicere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis: ut digne et competéter annúntiem Evangélium suum. Amen.

SUSCIPE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hanc immaculátam hóstiam, quam ego indignus fámulus tuus óffero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerábilibus peccátis, et offensió nibus, et negligétiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus Christiánis vivis atque defúntis: ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam ætérnam. Amen.

OFFERIMUS tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ maiestátis tuæ, pro nostra et totíus mundi salúte, cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

IN spíritu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

VENI, Sanctificátor, omnípotens ætérne Deus: et béne✠dic hoc sacrificium, tuo sancto nómini præparátum.

SUSCIPE, sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offerimus ob memóriam passiónis, resurrectiós, et ascensiónis Iesu Christi, Dómini nostri, et in honórem beátæ Mariæ semper Vírginis, et beáti Ioánnis Baptístæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Páuli, et istorum, et ómnium sanctorum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

QUI pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnípoténtem, tibi grátias agens, bene✠dixit, fregit, dedítque discipulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

SIMILI modo pósquam cenátum est, accípiens et hunc præclárum cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item tibi grátias agens, bene✠dixit, dedítque discipulis suis, dicens: Accípite, et bíbite ex eo omnes.

**HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI,
NOVI ET ÆTÉRNAI TESTAMÉNTI:
MYSTÉRIUM FIDEI:
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS
EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.**

Hæc quotiescúmque fecéritis,
in mei memóriam faciétis.

CREDO in unum Deum. Patrem omnípoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum **IESUM CHRISTUM,** Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sácula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salutem descendit de cælis. **ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST.** Crucifixus etiam pro nobis; sub Póntio Pilato passus, et sepúltus est. Et resurrexit tértia die, secúndum Scripturas. Et ascéndit in cælum: sedet ad dexteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória iudicáre vivos et mórtuos: cuius regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem: qui ex Patre Filióque procedit. Qui cum Patre, et Filio **SIMUL ADORATUR** et conglorificátur: qui locútus est per Prophéas. Et unam, sanctam, catholicam et Apostólicam Ecclésiám. Confíteor unum baptisma in remissióne peccatórum. Et exspécto resurrectionem mortuórum. Et vitam † ventúri sáculi. Amen.

SUPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ maiestátis tuæ: ut quoquot ex hac altáris participatióne sacrosánctum Fílii tui Cor✠pus et Sán✠guinem sumpsérimus, omni bene✠dictiósne cælésti et grátia repléamur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

PLÁCEAT tibi, sancta Trinitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ maiestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihi que et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.